



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

13. Quodnam peccatum committat excommunicatus excommunicatione
minori ministrando Sacramenta? Et an confessus excommunicato minori
excommunicatione teneatur iterare confessionem? Ex part. 5. tractat. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Sacram. Baptismi. Resol. XIII. II

salutem hominum instituta sint, ratio postulat, & obligat, ut eorum salutem consulatur potius, quam debitorum Sacramento & ejus auctori reverentia, & quando utrique simul consulti non potest. Quare tunc Sacramento Minister existens in peccato mortali non obligatur conformare se ejus sanctitati, sed succurrere proximi necessitati, nec proinde irreverenter & indignè tunc tractare censendus est. Nec deus actum perfectæ contritionis exerceri posse in instanti, etsi enim absolute posset, non tamen moraliter saltem à plerisque in ratione propria infirmitatis malè peccandi consuetudinibus, vitiosorumque habituum multo indigent tempore, quo se ad tam perfectum actum præparent. Hæc Maratius, cui adde Joannem Præpositum in 3. part. quest. 64. art. 6. dub. 1. num. 34.

3. Non desinat etiam hic adnotare quod Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 62. sect. 5. in respons. ad 4. arg. nullum videtur cognoscere casum, in quo sumptio Sacramenti Eucharistia possit esse licita in peccato mortali; tamen contrarium docet Vasq. Hurtad. & Ochag. quos citavi in p. 4. tr. 4. * res. 98. quibus adde Joan. de Lugo de Sacram. disp. 9. sect. 1. n. 8. ubi fatetur aliquando licet ratio, posse ut absque peccato possit aliquis scienter indispositus, & in statu peccati Eucharistiam sumere, ut si quis in Altari recorderetur peccati à se commissi, & ita arctetur angustias temporis, ut non possit attendere ad habendam contritionem, nisi cessando à sacrificio inchoato cum sui honoris dispendio, tunc enim absque peccato novo posset sacrificium consummare, & Eucharistiam sumere, quia reverentia Sacramenti non obligat cum tanto dispendio proprii honoris. Unde consequenter idem à fortiori dicendum videtur de aliis sacramentis, in quibus propter eadem inconvenientia, licet ratio occurrere posset casus quo propter angustias temporis non possit se ad contritionem præparare, vel excitare, & aliunde non possit absque gravissimo detrimento, vel etiam irreverentia ipsius Sacramenti illud non suscipere. In quibus casibus licet Sacramentum non conferret gratiam propter indispositionem subjecti, non tamen contraheretur novum peccatum, sed esset accessus neuter; hoc est, absque fructu, & absque peccato. Ita Lugo qui disp. 14. de Sacram. Eucharist. sect. 1. n. 3. ex eadem ratione docuit, quod quando in subita hereticorum, vel paganorum irruptione periculum esset gravissimæ irreverentia Eucharistia, inferendæ, & Catholicus in peccato existens non posset pro temporis angustias disponere se per contritionem, aut occultare Sacramentum, tunc enim propter ejusdem sacramenti reverentiam, sicut posset ex omnium sententia non jejunus, sic etiam videtur quod posset in peccato existens Eucharistiam sumere ad vitandam ejus irreverentiam. Unde ex his licet ego ubi supra contrariam sententiam tenuerim, adhuc tamen existimo supradictorum Doctorum opinionem etiam probabilem esse, & valde olim miratus sum quemdam sacrae Theologiae Professorem, virum doctum, hoc noluisse admittere; sed aliqui ita firmiter adhaerent opinioni, quæ illis placet, ut omnes alias anathematizent, & detestentur, & in eas censurando delirent.

RESOL. XIII.

Quodnam peccatum committat excommunicatus excommunicatione minori, ministrando Sacramenta?
Et an confessus excommunicato minori excommuni-

catione reneatur iterare confessionem? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 45.

§. 1. **D**iligenter hoc dubium discutit Philippus Faber de cens. in 4. sent. disp. 25. q. 1. disp. 4. c. 2. n. 22. ubi sic ait: Quidam dicunt peccare mortaliter, ut Adrianus & Durand. apud Soto in hoc 4. disp. 22. q. 2. art. 3. & alij apud Suarez disp. citat. sect. 2. num. 5. sed hæc opinio rejicitur, quia aperte repugnat textui allegato, siquidem ibi dicitur, quod ligatus minori excommunicatione non videtur removeri à collatione, sed à perceptione sacramentorum. Cum ergo non fit illi prohibitum activè ministrare sacramenta, nulla est ratio quod peccet mortaliter. Alij asserunt sic excommunicatum non peccare, per se loquendo, sed per accidens, ut Suarez ubi supra, qui citat alios, & ejusdem sententia est Navarr. cap. 27. num. 24. Sed hæc sententia quoque est falsa, quia repugnat textui, qui asserit quod talis excommunicatus peccat conferendo sacramenta, licet sacramenta valida sint: ergo per se peccat non per accidens. At respondet illa verba: *Peccat tamen conferendo Ecclesiastica sacramenta*, esse intelligenda de illa collatione, quæ simul est collatio, & receptio sacramenti, ut est ordinatio; quia Episcopus ordinat Clericos ad sacros Ordines, simul enim confert, & suscipit sacramentum; in his ergo peccat, quatenus sumit, licet non peccet quatenus confert, at quando solum confert, sed non suscipit, ut in conferendo sacramentum Confirmationis, non peccat; verum hæc responsio non satisfacit, quia Pontifex universaliter loquitur, ideo debet intelligi universaliter de collatione sacramentorum quorumcumque, ut de sacramento Penitentia, non autem de iis solum, quæ dum conferuntur etiam suscipiuntur. Verba enim textus sunt hæc: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non caret effectu*. Vult ergo quod ligatus minori excommunicatione sit remotus à quacumque susceptione sacramentorum, non tamen à collatione illorum; non tamen concedit, quod sine peccato illa conferat, si conferre velit, sed rem in suo statu sinit. Unde cum talis excommunicatio minor aliquam indecentiam secum afferat, dicitur non carere aliqua culpa, & ideo peccare; est ergo valde extorta illa expositio. Ideo mihi placet opinio illorum, qui asserunt, sic excommunicatum conferendo sacramenta Ecclesiastica peccare venialiter, quam sequitur Soto in hoc 4. disp. 22. quest. 2. artic. 3. & indicant Covarr. ubi supra, & nonnulli alij, quæ suadet ultra rationem adductam contra præcedentem opinionem, quia Pontifex in eo Canone, dum dicit, quod si ligatus excommunicatione minori celebret, peccat; apponit illam particulam, *graviter*, sed dum loquitur de collatione activa sacramentorum, inquit tantum, *peccat*; non autem apponit illam particulam, *graviter*: ergo signum est, quod indicat hoc secundum esse minus peccatum, illud autem primum est mortale: ergo hoc secundum erit tantum veniale. Verum Suarez ead. disp. 24. sect. 2. n. 12. adversus hanc sententiam insurgit, dicens, quod ea probabilis esset, si verum esset suppositum, quod facit, scilicet ministrare in excommunicatione minori, esse peccatum veniale: hoc autem, inquit, est falsum, tum quia censura hæc per se non est culpa, sed pœna, tum quia non supponit necessariò culpam mortalem. Quod si interdum illam supponeret, posset per contritionem deleri, & sic vult, quod talis censura per se sola coram Deo non afferat

Sup. hoc in Resol. seq. & in tom. 5. tract. 1. Resol. 182. §. Sed primò.

INTON.
Opera
Tom. 13 II
E III

Que hic
est in
Resol.
182. §.
Sed primò.
Sup. hoc in
Resol. seq.
Et in tom. 5.
tract. 1. Resol.
182. §. Sed primò.

afferat indignitatem, aut indecentiam, propter quam fit contra rectam rationem in illa conferre sacramentum. Ego non video hanc impugnationem aliquam speciem probabilitatis habere. Nam suppositum illud est verissimum; quis enim non videt, quod ligatus excommunicatione minori, quam incurrit per communicationem cum excommunicato majori excommunicatione, ut videbimus nunc *infra*, transgreditur preceptum de vitando excommunicato, quod est peccatum veniale? Unde etiam si penitentia commissi peccati, adhuc non habet omnem decentiam, quam habere debent regulariter ministrantes eadem sacramenta, quia illa poena est deformitas sufficiens: licet ergo ibi non esset peccatum, sed per contritionem esset delictum, non sequitur quod illa simplex poena censura non inducat deformitatem, propter quam ministrando in illa peccet. Nam etiam irregularis non habet peccatum, ut puta, quia per contritionem illud deletur, & tamen peccat celebrando propter illam deformitatem poenae irregularitatis. Et haec omnia docet Faber *loc. cit.*

2. Sed his non obstantibus puto opinionem Suarez probabilem esse, quam tueretur novissimè Adamus Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 8. dub. 2. n. 25*, Valer. *ubi infra*, qui citat Sotum, Ancharanum, Covarr. & Martinum Ledesim. Verum ego puto neque peccare venialiter. Unde Moscolo *in summ. tr. 16. c. 3. n. 2*. sic ait. [La dificultad que a los Autores trae rebueltos es, si el descomulgado con descomunión menor administrando los Sacramentos peca venialmente? y nace la dificultad del cap. ult. de Cler. excom. donde dize. Conferendo tamen graviter peccat. tratando deste descomulgado. Dexadas opiniones y explicaciones parece llano y certissimo, que pues le está prohibida la participación activa de los Sacramentos, que es poderlos administrar por ningún derecho, que ministrando no peca, ni mortal, ni venialmente, y así en las palabras referidas del Capitulo sin duda habla el Pontífice del Clerigo que administra el Sacramento, y juntamente celebra, y este tal peca mortalmente, como el texto dize, graviter, y explicar, que graviter sea venialmente, no se dexa entender bien.] Ita ille, & ego. Unde ex his refellendus est Doctor Sahagun, insignis Canonista Salmantinus, qui, teste Valero *ver. excommunicatio. differ. 3. n. 2*. publicè docuit peccare mortaliter excommunicatum minori excommunicatione, administrando aliis sacramenta, quamvis ea ipse non recipiat.

3. Notandum est tamen hic obiter contra Sylv. *ver. excommunicatio 4. n. 1*. sequutum Paludanum quod confessus excommunicato minori excommunicatione non tenetur reiterare Confessionem; nam, ut bene observat ex Soto Faber *ubi sup.* hoc aperte repugnat verbis textus Canonis, in quibus aperte dicitur quod sacramentum collatum ab huiusmodi excommunicato, non caret sua virtute & effectu. Quod etiam dicit *ibidem* Sylvest. huiusmodi excommunicatum conferendo sacramenta peccare quoad Deum, non quoad Ecclesiam, est falsum, quia cum haec censura fit ab Ecclesia posita, peccat nedum quoad Deum, sed quoad Ecclesiam.

RESOL. XIV.

An quis ministrat Sacramentum Baptismi, Penitentiae, &c. cum excommunicatione minori, peccat mortaliter, vel saltem venialiter? Ex p. 3. tract. 4. Resol. 56.

§. 1. Peccare mortaliter docet Vasq. *in 3. part. tom. 4. tract. de excom. dub. 4. n. 4.* tum ex cap. si celebrat, de cler. excomm. tum ex iure divino; supposita enim excommunicatione in aliquo, irreverentia gravis erit ita sacramenta ministrare.

2. Secunda opinio putat esse in tali administratione tantum peccatum veniale, & ita docent Covarr. *in cap. alma mater. p. 1. §. 8. n. 2.* Sotus *in 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 3.* Avila *de cens. part. 2. c. 6. disp. 12. dub. 3.* Medina *in sum. lib. 1. c. 11. §. 6.* Sayr. *de cens. lib. 2. c. 22. n. 17.* Coninch. *de sacrament. disp. 14. dub. 17. n. 264.* Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 32. c. 14. n. 242.* & alij.

3. Sed his non obstantibus aliqui docent, ministrantem sacramenta cum excommunicatione minori nullam culpam venialem committere. Et ita tenet Filliuc. novissimè *tom. 2. tr. 13. c. 2. num. 24.* qui respondet ad cap. si celebrat, idem docent Henricq. *lib. 13. cap. 3. n. 5.* & alij; non videtur tamen à priori sententia recedendum, cum in textu expressè dicatur quod peccet.

RESOL. XV.

An excommunicatus denunciatus, & vitandus possit conferre sacramenta?

Et an per accidens in variis casibus etiam nominatim excommunicatus: & vitandus possit excusari à peccato Sacramenta ministrando, qui in textu huius resolutionis explanantur, & tota doctrina huius Resolutionis est valde notanda, & in mente tenenda pro praxi?

Et quid dicendum est de excommunicato tolerato, in quo casu sunt etiam multa valde notanda?

Et docetur, quod excommunicatus etiam non toleratus valide offert Sacrificium Missae, si Sacerdos est, ejusque fructum, qui ex opere operato habetur, valide cui voluerit, applicat, modò hic ejus sit capax. Ex p. 5. tr. 9. Resol. 83.

§. 1. Respondeo excommunicatum denunciatum, qui vitandus communiter appellatur, esse privatum activa sacramentorum communicatione, & sacrificij oblatione, cap. latores, de Clerico excommunicato ministrante, & cap. si celebrat, eodem tit. idque sub peccato mortali, quia tam gravis materia est actio ministrandi, quam recipiendi sacramentum. Excusatur tamen primò per ignorantiam invincibilem, & naturalem inadvertentiam, cap. Apostolica, de Cler. excom. ministrante. Secundo per necessitatem proveniente ex vi, aut metu gravi, aut articulo, vel periculo mortis, ut constat ex illa, in qua potest esse parvulus non baptizatus. De aliis sacramentis quidam negant, sed idem probabilis est de sacramento Penitentiae, utpote medio juris divini, & per se ad salutem necessario, nec est improbabile de sacramento Eucharistiae propter ejus summam utilitatem, & praecipi divini necessitatem. Ita Mercer. *de Sacram. in 3. p. q. 21. dub. 5.* cui adde Guttier. *in qq. can. lib. 1. cap. 1. n. 65.* Raynaud. *de monitor. p. 2. c. 2. n. 23.* & Praepos. *in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 8. n. 44.* ubi sic ait:

Per accidens variis casibus potest excusari à peccato. Primò si excommunicatus etiam nominatim gravi metu adigatur ad celebrandum, modò id non fiat in contemptum Censurae, & Religionis, non peccat celebrando, v. g. si Princeps volens audire Sacrum die Dominico, nec habens alium, quam nominatim excommunicatum, illum gravi metu adigat, ut celebret, hic si non possit commodè declinare, potest

Sup. conter. to in hac Resol. & in Ref. prae- rita, & in tom. 5. tr. 1. Resol. 182. § sed primò.

Sup. hac ignorantia invincibilis, seu inadvertentia naturalis, aut metu gravi, articulo, vel periculo mortis, contentis in hoc textu cursum in Resol. seq. §. ult.

Sup. hoc primò in Resol. seq. à principio, & si placet in tom. 7. tract. 5. lege doctrinam, §. Secundo Resol. 76.